

Virginem, post Christum natum, virginitatis iuramentum fecisse, & liberos genuisse. *Vitalis* Ecclesie Antiochenae Presbyter, & Apollinarii discipulus errores præceptoris sui ibi disseminavit, multosque in suam sectam pertraxit, qui dicti sunt *Vitaliani*, quorum ab Apollinario *Vitalis* ordinatus est Episcopus. Hæc Apollinaristarum Hæresis damnata est in pluribus Conciliis, Alexandrino nimirum a S. Athanasio anno 362. celebrato, Romano sub Damaso Papa 373. Antiocheno anno 378. Constantinopolitano primo Ecumenico anno 381. Viguit tamen Antiochiæ hæc Hæresis usque ad Pontificatum Theodosii, qui ab anno 416. usque ad annum 428. Ecclesiam Antiochenam rexit, & ad gremium Catholicæ Ecclesie Apollinaristas reduxit, quorum tamen nonnulli obstinati perstiterunt in hac secta, ex qua, ut postea dicemus, Euthychianorum Hæresis, tanquam malus ex infecta radice furculus pullulavit.

D. Quandonam enata est, & quem Authorem habuit Manichæorum Hæresis?

M. Hæresis Manichæorum in tertio Ecclesie sæculo, seu anno Christi 277. *Probo* Imperium tenente, erupit, ut in Chronico Eusebiano legitur, & in Critica Pagii ad annum 277. Sed quia dumtaxat in quarto Ecclesie sæculo late in Animarum perniciem hæc Hæresis propagata est, eam in Classe Hæresum quarti sæculi reponendam esse dixi. Parens turpissimæ illius Hæreseos fuit *Manes*, qui pestilentem doctrinam hausit ex libris *Scythiani*, genere Saraceni. Id autem hoc pacto contigit. Vir ille cognomine *Scythianus* errorem de duobus principiis ex Pythagoreo dogmate cepit in Palæstina divulgare, ac tandem ex morbo interiit. Discipulum habuit nomine *Terebinthum*, qui Scriptorum Scythiani, & pecuniæ factus hæres, a Palæstinis exagitatus fugit in Persidem, ubi quoque a Sacerdotis Solis vexatus, sese ad quamdam viduam recepit, ubi dum Magiæ vacaret, extinctus est. Hæc vidua, cum hærede careret, servum emit nomine *Curbicum*, quem Præceptoribus instituendum tradidit. Defuncta vidua, a qua *Curbicus* fuerat adoptatus, hæres bonorum ejus, atque librorum mansit, & servili nomine deposito, *Manem* se, hoc est, Persice, *Disputatorum* dixit, suosque errores disseminare cepit. Sed veterator iste, cum Persarum Regis filium, expulsi Medicis, a quibus sanari potuisset, precibus suis sanandum sponduisset, nec tamen promissis steteret, infante intra ipsius manus mortuo, in carcerem conjectus est, ex quo postea fugiens in Mesopotamiam venit, ubi cum suæ Hæreseos zizaniam spargeret, ab Archelao Cartharorum in Mesopotamia Episcopo in publica disputatione convictus, tantoque pudore suffusus est, ut statim fugam arripuerit, sicut testantur S. Hieronymus in lib. de Scriptoribus Eccles. cap. 72. & Photius lib. 1. adversus Manichæos suis temporibus repullulantes. Acta integra disputationis Archelai cum Manete exhibet Cl. *Zacagnius* tom. 1. Collect. Monument. veterum Ecclesie Græcæ, ac Latinæ. Dum autem fugeret *Manes*, a satellitibus interceptus est, ac Regis Persarum jussu vivus cutæ exutus, & postea Feris objectus, ejusque pel-

lis ad ludibrium suspensa est. Hæc fuit sors *Manetis* Parentis pestilentis Hæreseos, quæ in Egypto, in Palæstina, in Perside, in Galliis, & in Hispania longas propages reliquit, & in perniciem Ecclesie ad sæculum usque sextum perduravit.

D. Quinam sunt errores, quos disseminavit *Manes*.

M. In primis, duo rerum omnium principia coæterna, & subsistentia *Manes* præstituit, *Bonum* scilicet, quod Deum, & lucem nuncupabat; & *Malum*, quod tenebras, vel etiam materiam cum pravo suo genio, & Diabolo appellabat. Primum principium bonum aiebat esse fontem omnium bonorum, & ab eo res superiores esse productas. Omnia vero mala, inter quæ libros veteris Testamenti reponebat, a malo principio proditisse affirmabat. Præterea, fingebat, duo hæc principia fuisse quondam disgregata, sed principium malum, quietis impatiens, contra principium bonum movisse, emissisque virtutibus suis, nec quidquam obstantibus adversariis, Dei ipsius, seu principii boni portionem rapuisse, quam corporibus animandis alligavit. Ex quo inferebat, animas tum hominum, tum jumentorum, avium, piscium & arborum, sicut & virtutes Cælestes, Solem, Lunam & Sydera divinæ substantiæ esse segmenta. Tertio, assererat, duas in homine animas esse, bonam unam, quæ esset a bono principio, rationalem videlicet animam; & alteram malam, quæ esset a principio malo, concupiscentiam carnis vulgo dictam, hominemque ab anima bona ad bonum, & a mala anima ad malum necessario determinari putabat, unde sequebatur totius libertatis humanæ exterminium. Quarto, animas, post multas e corporibus in corpora migrationes, a servitute tandem tenebrarum solvi, & ad Cælum, Deumque ipsum, duodecim signorum, necnon Planetarum, & præcipue Solis & Lunæ, seu navigiorum quorundam adminiculo, regredi fabulabatur. Quinto, negabat, Christum veram suscepisse naturam humanam, vereque passum, subiecto in Christi locum Jesu quodam mali principii Filio, quem Judæi occiderunt. Sexto, nullam corporum resurrectionem admittebat. Septimo, docebat non esse licitum vesci carnibus. Octavo, nuptias, seu illicitas reprobabat. Denique, se Paracletum esse jactabat, Montani delirium, & arrogantiam æmulatus.

Manichæorum Secta duo hominum genera complectebatur, *Electorum* videlicet, & *Auditorum*. Hi, qui dicebantur *Electi*, externam quamdam, sed larvatam ad aucupandam Mundi gloriam affectabant pietatis speciem. Jejunabant die Dominica, die Lunæ: a vino, a carnibus, ovis, lacte, piscibus & balneis abstinebant: castitatem observabant, seque terrenis rebus nuncium plane remisisse, nec opes, nec domos, nec terras possidere venditabant. Illi vero, qui *Auditores* vocabantur, cæterorum quidem hominum more vivebant, sed a nuptiis abhorrebant. Quando Manichæi ad Ecclesie Catholicæ sinum revertebantur, non confessim ad communionem recipiebantur, sed cum essent in sua doctrina versatiles, il-

los

los per diuturnum tempus longo examine probare solita erat Ecclesia. Unde necdum erant baptizati, in catechumenatu diu permanebant, antequam baptismo initiarentur. Qui vero jam baptizati hæresim ejurabant, in gradibus, seu stationibus publicæ poenitentiae diu etiam detinebantur, priusquam communionem donarentur. S. Augustinus, qui initio libri *de duabus Animabus* de infana Manichæorum Secta quondam se fuisse deplorat, multique alii Ecclesie Doctores in Manichæos calumum strinxerunt, & libros ab illis editos confutarunt. Ex hac Manichæorum Hæresi sub finem quarti sæculi ortum habuit Priscillianistarum Hæresis.

D. Quisnam fuit Author Priscillianistarum Hæreseos?

M. Hanc Hæresim ex Gnosticorum, Manichæorum, aliorumve Hæreticorum constatam erroribus primus, teste Severo Sulpicio lib. 2. Histor. sacræ, intra Hispanias intulit *Marcus* diversus ab illo Marco, qui fuit Author Marciorum Sectæ, cujus mentionem facit Sanctus Irenæus lib. 1. cap. 80. Secta quippe Priscillianistarum orta est post Manichæorum Hæresim; *Manes* autem, ut mox observavi, suam Hæresim publicavit anno 277. Sæculo ferme post Hæresim Marciorum. Hic igitur *Marcus* ex Egypto profectus, Memphis ortus, hanc Hæresim primus in Hispaniam invenit, cujus auditores fuere *Agape* quædam non ignobilis mulier, & *Rebhor Helpidius*, a quibus *Priscillianus* Hispanus, vir nobilitate, ingenio, & facundia conspicuus eadem Hæresim infectam a suo nomine *Priscillianistarum* dictam anno 379. instituit, quam non solum multi nobiles, plebei & mulieres, sed duo etiam Episcopi *Instantius*, & *Salvianus* amplexi sunt. Verum *Idacius* Emeritæ Civitatis Episcopus Priscillianistas vehementer exagitavit, ac post multa cum illis habita certamina, anno 380. coacta est Synodus Cæsar-Augustana, cui interfuerunt Episcopi Aquitanie, & in qua *Instantius*, *Salvianus* Episcopi, *Helpidius*, & *Priscillianus* Laici hujus sectæ primarii fuere damnati. Post Concilii celebrationem *Instantius*, & *Salvianus* Priscillianum in Oppido Labilensi Episcopum constituerunt. Tum *Ithacius* Sostubensis Episcopus, cui a Synodo Cæsar-Augustana negotium datum erat, ut Episcoporum Decretum in omnium notitiam deferret, rescriptum a Gratiano Imperatore obtinuit, quo universi Hæretici Ecclesiis & Urbibus pellebantur. *Instantius*, *Salvianus* & *Priscillianus* Romanam profecti, ut coram Damaso Papa sese purgarent, ne ad conspectum quidem Sanctorum Damasi, & Ambrosii Mediolanensis Episcopi admitti sunt. Inde in Galliam remearunt, sed cum S. Martino Turonensis Episcopus, alique Antistites illos tanquam Hæreticos repulissent, appellarunt ad Cæsarem, seu ad tyrannum *Maximum*, qui tum temporis potestatem Imperii in Galliis obrinebat, & ab illo, *Macedonii* officiorum Magistri beneficio rescriptum impetrarunt, quo suis Ecclesiis restituebantur, & *Ithacius*, qui eis constanter obstitabat, sua sede dejiciebatur. *Ithacius* itaque sua sede pulsus in Gallias trepidus ausu-

git, ubi Gregorium Præfectum adiit, eumque malas Priscillianistarum artes edocuit. Sed *Macedonius* qui Priscillianistas favebat, Gregorio Præfecto hujus causæ cognitionem eripuit, misit Officiales, qui *Ithacium* in Hispanias adducerent. Fugit ille apud Treviros, & paulo post, seu anno 383. *Maximo*, qui Imperium in Occidente occupaverat, & Treviris eo anno versabatur, supplicem libellum obtulit, quem cum legisset *Maximus*, Instantium & Priscillianum ad Synodum Burdigalæ convocatam adduci jussit. In hac Synodo convictus *Instantius* a Patribus exauctoratus est anno 385. Priscillianus vero Episcopali judicio subesse nolens ad Imperatorem *Maximum* provocavit; qui, instigante præsertim *Ithacio*, ira succensus Priscillianum ejusque socios *Felicissimum*, & *Armenium* capite plecti jussit, cæteros in exilium misit. Verumtamen *Ithacium*, & alios ei adherentes Episcopos, qui præter Ecclesie mores, legesque charitatis Christianæ, Hæreticorum necem procuraverant, palam reprobavit sanior Episcoporum pars, & hac de causa illorum communionem vitabant. Sanctus Martinus Turonensis Episcopus cum *Ithacio*, & aliis ipsi suffragantibus Episcopis communionem inire primum recusavit, sed ægre tandem cessit propter *Maximum* Imperatorem, qui *Ithacio* favebat. Cum illis ergo communicavit Sanctus Martinus, quem tamen postea facti poenituisse eleganter Severus Sulpicius Dialogo 3. de virtutibus, & miraculis S. Martini. Mortuo *Maximo* Imperatore anno 388. *Ithacius* fuit sua Sede depositus, & in exilium missus, cujus depositioni, & damnationi cum quidam Episcopi consentire nollent, orta est inter Galliarum Episcopos non levis dissensio.

D. Fuitne Priscillianistarum Hæresis, occiso Priscilliano, penitus extincta?

M. Immo hæc Hæresis, Priscilliano occiso, magis confirmata, latiusque, propagata est, teste Severo Sulpicio lib. 2. Histor. sacræ. Ejus siquidem Sectatores, qui Priscillianum ut sanctum prius honoraverant, postea ut martyrem colere ceperunt, peremptorum corpora ad Hispanias relata, magnisque copiis celebrata fuere eorum funera. Quin & jurare per Priscillianum summo religionis loco ducebatur. Fuere tamen nonnulli Episcopi Priscillianistæ *Symphosius*, & *Diethinus*, qui abicientes Hæresim ad communionem Ecclesie in Concilio Toletano habito anno 400. admissi sunt. Alii obstinati perstiterunt in hac secta, quæ nec Edictis Imperatorum, nec sanctionibus Conciliorum in Hispania reprimi potuit, sed in quinto Ecclesie sæculo maxime adhuc dilatata vivebat.

D. Quinam præcipui fuerunt Priscillianistarum errores?

M. Cum Priscillianistarum Hæresis compacta esset ex erroribus Gnosticorum, Manichæorum, aliorumve Hæreticorum, non potuit non esse turpissima, facibus inquinatissimorum Dogmatum in unum confluentibus. Docebat in primis Priscillianistæ cum Manichæis, duo esse principia, bonum unum, & malum alterum. Secundo,

F. 4

admit.

admittebant cum Gnosticis quasdam virtutes ex Deo procedere, quas in tempore Deus habere coepit, & quas ipse sua essentia præcesserit. Tertio, conveniebant cum Noeto, & Sabellio, quod Trinitatem Personarum in Deo esse negarent. Quarto, censebant cum Origene, animas, antequam infunderentur in corpora, peccasse, & in poenam peccati in corporibus tanquam in carceribus fuisse reclusas. Quinto, affirmabant cum Paulo Samosateno, & Photino Christum non esse Deum, sed purum hominem. Sexto, dicebant cum Marcionitis, & Manichæis, Christum non suscepisse veram carnem. Septimo, opinabantur cum Ethnicis, animas, & corpora hominum fatalibus Stellis adstringi. Octavo, asseriebant, Diabolum nunquam fuisse bonum, & plasmationem humanorum corporum dicebant esse Diaboli figmentum. Hinc corporum resurrectionem præfracte inficiabantur, & nuptias adeo exhorrebant, ut conjugia dissolverent, & feminas, a nolentibus viris separarent. Nono, animam hominis divinæ putabant esse substantiæ. Denique Priscillianistæ scripturas apocryphas obtendebant, quibus commenta sua confirmare studebant. His erroribus affines erant Priscillianistarum mores. Quamvis enim abstinentia a carnibus, fucata oris, totiusque corporis modestia, precum assiduitate, & pallore vultus pietatem mentirentur, nihilominus obscenam vitam debebant, nocturnos turpium seminarum conventus agebant, & nudi orare solebant. Quapropter, ad suas turpitudines occultandas existimabant sibi licitum esse proferre mendacium etiam cum perjurio junctum, illisque hoc dogma, instar alicujus effati, familiariter erat: *Jura, perjura, secretum prodeve noli.*

D. Recensuisti ne omnes Hæreses, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo proruperunt?

M. Sanctus Epiphanius in libr. de Hæresibus mentionem facit Hæresim Audianorum, Antidicomarianitarum, Collyridianorum, & Messalianorum, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo eruperunt, sed obscuræ, nec multum fuere diffusæ. Quapropter breviter me ab illis expediam, incipiendo ab Hæresi Audianorum, quibus nomen dedit *Audeus* illius Sectæ auctor, Syrus e Mesopotamia oriundus, qui Arij temporibus vixit. Hic cum severioris disciplinæ fervidus æmulator esset, & ab illius observatione Clericos, necnon Episcopos deficientes liberitis redargueret, suis intempestivis objurgationibus illorum in se concitavit odium, quod ferre non valens, sese ab illorum communione divisit, & a quodam Antistite, qui ab Ecclesia itidem secesserat, ordinatus Episcopus, Presbyteros, & Episcopos suæ Sectæ instituit, & privatos conventus cum suis Sectariis agitare cepit. Sanctus Epiphanius nullum Audæo tribuit errorem contra Fidem, sed tantum ait, illum crassiori, & imperitiori modo hæc Scripturæ verba: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, fuisse interpretatum, affirmando hanc similitudinem referendam esse ad corpus. Ob quam absurdam interpretationem multi crediderunt, Audæum corporis humani lineamenta Deo affinxisse, ejusque Sectatores *Anthropomorphi-*

tas appellarunt. Sanctus Augustinus in libr. de Hæresibus hunc Anthropomorphitarum errorem attribuit Audianis. Theodoros libr. 4. Fab. Hæret. & lib. 5. Hist. Eccl. cap. 9. dicit, se ex vago rumore accepisse Audæum putasse tenebras, ignem, & aquam ingenita esse. Audiani Pascha more Judæorum die XIV. Lunæ peragebant, in Monasteriis, & in solitudine vitam debebant, nec cum Clericis, Episcopis, aliisque Catholicæ Ecclesiæ Fidelibus communicare volebant. *Audeus* illorum Princeps ab Imperatore Constantio in Scythiam relegatus est, & inde transivit ad Gothos, quorum plurimos ad Christianam Fidem adduxit, sed quia nefario Schismate a communione Ecclesiæ Catholicæ manserunt separati, inter Hæreticos fuere annumerati. *Facundus* ait, eo tempore, quo scribebat, hoc est, sub finem quinti sæculi, istius Audianorum Sectæ ne ullum quidem remansisse vestigium.

Hæretici *Antidicomarianitæ* appellabantur hi, qui Mariam Matrem Christi suam post Partum Virginitatem amisisse, ac liberos ex carnali cum Josepho congressu genuisse effutiebant. Quibus Hæreticis omnino oppositi fuerunt alii Sectarii, dicti *Collyridiani*, eo quod Beatam Virginem Deiparam colerent ut Deam, & in ipsius honorem Collyridem panis per mulieres offerrebant. Muliebri quippe sexui Sacerdotii munia hæc Secta ordine præpostero, sacris litteris, & disciplinæ Ecclesiasticæ penitus contrario deserebat, ut videre est apud Sanctum Epiphanium Hæresi 79.

Supere est ut pauca dicam de Hæresi Messalianorum, qui *Eubetæ*, & *Enthusiastæ* quoque dicti sunt, eo quod insulse Evangelii dicta interpretantes, suis omnibus facultatibus dimissis, & labore manuum prorsus neglecto soli Orationi vacabant. Hujus Hæreseos Principes, sicut testatur Sanctus Damascenus in libr. de Hæresibus fuerunt *Dadoes*, & *Sabas*, & *Adelphius*, & *Hermas*, & *Symeon*, qui ab Ecclesiæ communione præcisi sunt, quod dicerent, nec prodesse, nec obesse divinam escam, de qua Dominus ait: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, vivet in æternum*. Nec solum isti Hæretici manuum opera rejiciebant, sed etiam nullam pauperibus eleemosynam dari debere affirmabant. Monachos non decere Ecclesiasticis interesse conventibus asseriebant. Baptismum nullam iis, qui eum consequuntur, utilitatem asserere putabant, sed sola oratione dæmonem expelli docebant. Omnes, qui nascuntur ex primo parente, trahere aiebant quemadmodum naturam, sic dæmonum servitutem, hisque per sedulam orationem fugatis, advenire deinceps Spiritum Sanctum, qui præsentiam suam sensibus, & oculis exhibeat, tum corpus a perturbationum motibus, tum animam ab omni ad deteriora propensione liberando, ita ut nec jejuniis, nec corporis mortificatione opus habeat ille, qui semel Spiritum Sanctum adeptus est, quippe qui non soluma protervis corporis moribus eximatur, sed futura etiam prævideat, & Divinam Trinitatem oculis intueatur.

Deni-

Denique, isti Hæretici somno sese deditos, somniorum Imagines divinum afflatum vocabant. Suos tamen errores celare maxime studebant, eosque, quando convicti, aut detecti erant, præfracte negabant. Quamobrem Flavianus Antiochiæ Episcopus, cum ejusmodi Hæreticos Edesse verlari, venenumque suum vicinis locis instillare didicisset, Antiochiam illos pertraxit, & Adelphium unum ex primariis illius Sectæ ad se benigne vocans, ita blandis, & officiosis verbis demulsit, ut his delinitus Adelphius, nihilque suspicatus totum latens venenum evomuerit. Tunc Flavianus patefacto morbo, & de omnibus Messalianorum erroribus certior plane factus Synodum convocavit, in qua Messaliani fuerunt damnati, & Syria expulsi. Hi vero in Pamphylia concesserunt. Sed Amphilocheus Lycaonum Metropoli Præpositus luem illic grassantem in Synodo compescuit. *Letofus* etiam Melitenensis Ecclesiæ Antistes, cum videret multa Monasteria hanc Hæresim fuisse, scriptis illam confutavit. Denique, Œcumenica Ephesina Synodus Messalianos anathemate percussit, eosque Theodosius Imperator lege anno 428. lata proscripsit. Hæc tamen Hæresis instar hydræ suis rediviva cladibus diu Orientem funestavit, & ex ea anno MCXVIII. *Alexii* Imperatoris tempore, manavit Hæresis *Bogomilorum*, ut videre est in lib. 15. Historiæ *Anne Comnenæ*, quæ his temporibus vivebat, & omnia quæ illam Bogomilorum Hæresim spectant, accurate litteris consignavit.

D. Hæc Hæresim monstra vidisse sufficiat. Nec enim in tam crassis confutandis Hæreticorum erroribus diutius immorari juvat.

M. *Sententias Hæreticorum prodidisse, superasse est; patet prima fronte blasphemiam, non necesse habet convinci, quod sua statim professione blasphemum est*, inquit Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem contra Pelag. Videbimus in proximo Colloquio, quo pacto Ecclesia in Conciliis congregata omnes Hæreses, quæ in quarto sæculo pullularunt, profligaverit: *Ecclesia Sancta, Ecclesia una, Ecclesia Catholica contra omnes Hæreses pugnant, oppugnari potest, expugnari non potest. Hæreses omnes prodierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa. Ipsa autem manet in radice sua, in charitate sua, & portæ inferi non vincunt eam*, ait S. Augustinus lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos.

COLLOQUIUM III.

De Conciliis, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo ad tollenda Schismata, confingendasque Hæreses variis in locis fuere celebrata.

D. **D**UM tot Hæreses, & gravissimas altercationes, quibus in quarto sæculo exagitata est Ecclesia, mecum tacitus perpendo, facile intelligo, complura ad definiendas emergentes Fidei controversias celebrata fuisse Concilia, quorum quidem in præcedenti Colloquio nonnullam mentionem fecisti, sed nunc data opera omnium Conciliorum, quæ in quarto Ecclesiæ

sæculo habita sunt, Historiam accurate texere debes, ut fidem, quam mihi a principio obstrinxisti, hoc pacto liberare possis.

M. Quarto ineunte sæculo acerbissimis Ethnicorum Imperatorum persecutionibus afflicta, & tantum non oppressa Ecclesia, integrum non fuit Episcopis hac illac dissipatis indicere Concilia ad sancienda ea, quæ regimen politicum, seu disciplinam Ecclesiæ spectabant, vel ad enatos proscribendos errores erant omnino necessaria. Ast, remisso persecutionum furore, Episcopi suis restituti Ecclesiis Synodos habere coeperunt, tum ut providerent his, qui sævientem persecutione lapsi erant, tum ut collapsam resarcirent disciplinam, & sparfos ab Hæreticis errores penitus profligarent. Postea, sub Constantino Magno, & sub aliis Christianis Imperatoribus mos in Ecclesia obtinuit, ut Episcopi unius Provinciæ singulis annis Concilium, quod *Provinciale* dicebatur, celebrarent; & in eo omnia negotia cum fidei, tum morum, & disciplinæ, quæ in Provincia occurrere poterant, pertractarent. Si quæ vero inter Episcopos dissensiones oriebantur, ad illas sopiendas cogebatur Concilium *Nationale* ita dictum, quod Episcopi diversarum ejusdem Nationis, seu Regni Provinciarum huic Concilio interessent. Denique, primum inter Principes Christianos sub Constantino Imperatore Concilium omnium Episcoporum totius Orbis tam Orientis, quam Occidentis ad exterminandam Arianam Hæresim convocatum fuit: ad cujus exemplum deinde sub aliis Imperatoribus Christianis Concilia universi Orbis Episcoporum, quæ vulgo Œcumenica, seu Generalia vocitantur, in rem Ecclesiæ sæpius indicta fuerunt, assentientibus tam Pontificibus Romanis, ad quos solos de jure pertinet convocare Concilia Generalia, eisque vel per se, vel per suos Legatos præesse.

D. Paucis verbis generalem quidem, sed tamen accuratam omnium Conciliorum ideam depinxisti. Jam probe intelligo triplicis generis esse Concilia, *Provincialia* nimirum, *Nationalia*, & *Œcumenica*, seu Generalia, quæ eo potissimum fine convocari solent, ut consulatur politico regimini Ecclesiæ, facta recta conservetur disciplina, & omnes controversiæ, quæ circa fidem exoriri possunt, judicio, & autoritate Episcoporum dirimantur. Nunc pleniorum Conciliorum, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo habita sunt, notitiam assequi ut valeam, rogo te, ut juxta accuratorem Chronologiam præfigas annos, loca, Episcoporum numerum, & præcipuas sanctiones, quæ in illis editæ sunt.

M. Concilium Sinuessanum, quod a Clero Romano in causa de lapsu Marcellini Papæ poenitentis anno 302. fertur convocatum, ordine haud dubie præcederet omnia Concilia, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata, si Acta illius Concilii genuina essent, & non supposititia. At lapsus Marcellini Papæ, & Actorum Concilii Sinuessani certa suppositionis indicia exhibent Papebrochius in Conatu Chronologico-Historico ad Catalogum Pontificum, Pagius in sua Critica